

Witsii Spe-
ciatim.

dei, in articulo iustificationis, esse OPERA CONCOMITANTIA, iustificationem afferre iustitiam fidei, et imputatam, et INHAESIVAM SIMVL, BREITHAVPT. Thes. Cred. L. de Iustif. pag. 152. 154. 155. 156. Pro apologia carnalis securitatis et corruptione doctrinae puritatis ac uirtutis habetur alibi, quum negatur, fidem statim, a prima sua origine, LVCTANTEM esse et VINCENTEM, it. quum fidei, tempore iustificationis, omnis ACTVS et AFFECTVS AMORIS, una cum facultate (Vermögen,) amandi, quam, tempore, iustificationi postponeremus, abiudicaretur, defendendo adeo uere fidem, amore destitutam, quod in iustificatione, quo de sermo est, magnum haud dubie piaculum non erit, D. LANGIVS, in Histor. Nouissim. p. 134. 137. AMOREM, tertium fidei actum, quartum uero factum, sitimque Christi, ac quintum tandem fiduciam HERM. WITSIVS constituit, fructu hac ratione fidei, eiusque effectibus in fidem ipsam conuersis, in Symbol. Apostol. Exercit. III. §. 17. 18. p. 30. seq. quod D. BVDDEVS merito refutat, in Institut. Theol. dogm. L. IV. c. 3. §. 9. p. 920. Nobiliter uideri debebat, quod in uindicanda quorundam de praesentia B. O. in iustificatione sententia, insumitur tempus. Mortua certe fides nostra iustificans, uitam scilicet a Christi receptione intrinsece habens, non est, licet, quam monstrat et exhibet per B. O. uita, extrinsece nondum adsit. Latiori ἀκριβολογούντες, his difficillimis temporibus, sensui Theologi non facile adhaerent, quum potius ad strictiorem, ne noceat delitescens passim in herba serpens, tot nouis subortis certaminibus, quibus porrigenda alimena non sunt, compellantur. Nec motus ullo modo cum bonis confundunt operibus, aut internis aliquid largiuntur operibus, quod nullis, pro gloria solius Christi, qualia demumcunque ea sint, largiri debebant; naturam namque bonorum operum in genere, qua fidei sunt, et contraria, et posteriora, opera nostra etiam interna, spes, caritas etc. quae expresse dissentientes hic allegant, omnino seruant. Nunquam fides sola, in statu scilicet iustificationis, post iustificationis momentum, est, uti docebitur infra ulte-